

us illic esset, denique ad mensam sedens, non cibum potumque sumere, non sumptum ad os ferre meminisset, nisi Mellissa quædam, quæ sibi pro coniuge seruebat, apprehensam leuiter dexteram, ad obsequium neglecti corporis retulisset. In hoc profectò verificatum est quod Philosophis placet: Docto viro cogitare esse viuere. Sic enim vixit quasi cogitationibus aleretur: idem disputaturus cum Chrysippo, hellebori haustu sese ante purgabat, & aduersus acutissimum hominem, suum acuebat ingenium: Inter has curas octogintanouem ætatis annos, nusquam interrupto studio transegit. Hic est ille Carneades, quem graues & indecisas Peripateticorum & Stoicorum lites, honorarij more arbitri diffinire solitum, auctor est Cicero.

CHRYSIPPVS.

**N**ON differam Chrysippum, qui Disputator an Illaqueator eximius, octoginta vitæ suæ annos ita partitus est, vt plus dimidio in vnus ingentis voluminis studium impenderet, nec residui temporis momentum perire passus. Itaque tam multa scripta edidit, vt ad eorù cognitionem communis hominum vita

NON